

EPISTOLA PATRUM ET THEOLOGORUM PRO INTRODUCTIONE
CAUSÆ BEATIFICATIONIS ET CANONISATIONIS S. M.

PII PP. IX.

BEATISSIME PATER,

Deus qui semper invigilat ad tutandam Ecclesiam, quam in petrâ fundavit, contrâ nefarios inimicorum incursus, itâ ut adversûs eam portæ inferi nunquam possint prævalere, nuperrimè suo gregi dedit Pastorem secundum cor suum et animam suam, cui inaudita privilegia concessit. Singulari enim Dei providentia, primus fuit, imo et solus qui annos Petri in Romana Sede non solum attigit sed et superavit. Neminem latet illi concessum fuisse declarare Beatissimam Virginem ab omni labe in suâ conceptione prorsûs immunem evasisse, et infallibile Romani Pontificis magisterium objiciendi tûm inobedientiæ quàm elationi quæ, luctuosissimis hisce diebus, ubique serpere vel grassari videntur. Quot et quantæ fuerint virtutes quæ maximo splendore in eo eluxerunt, nullus est qui possit ignorare. Omnes certè mirati sumus ejus patientiam in contradictionibus, mansuetudinem ergâ inimicos, in adversis fortitudinem, et zelum ad salvandas animas pro quibus Christus mortuus est. Bonus enim fuit pastor qui, Christi vestigia premens, libertatem pro grege spontè dimisit, æternaque veritatis et justitiæ principia, vel in carcere, palàm omnibus annuntiavit. Sed imprimis altissimos habuit fidei sensus, et non solùm fidem à Deo revelatam integerrimè sibi servavit, sed et ad illam propagandam et ad extirpandos hæreticorum et pessimorum nostri temporis hominum errores tanto studio incubuit, ut vix inveniri posset alius Pontifex qui majores pro Ecclesiâ Dei pertulerit labores, aut qui